

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Rituale Sive Obsequiale Ecclesiae Et Dioecesis
Constantiensis**

Constantiae, 1686

Rubrica de sanctissimo eucharistiae sacramento

[urn:nbn:de:bsz:31-132849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-132849)



RUBRICA

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.



Omnibus quidem Ecclesia Catholica Sacramentis religiose sancteque tractandis, magna, ac diligens cura adhibenda est; sed præcipue in administrando sanctissima Eucharistia Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius, & admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur præcipuum & maximum Dei donum, & ipsemet omnis gratia ac sanctitatis fons, auctorque Christus Dominus.

Quare Parochus, sive alius quis cunque, Sacerdos summum studium in eo ponat, ut tum ipse venerabile hoc Sacramentum, omni qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, & administret, quatenus hoc suo devotionis & reverentia exemplo præluces, in alijs etiam omnem devotionem, reverentiam, & cultum erga hoc san-

M

ctissimi-

Etissimum Sacramentum excitet, & augeat; tum etiam populus sibi commissus religiosè illud colat, sanctè frequentèrque suscipiat, præsertim in majoribus anni solemnitatibus.

Ideo populum sæpius tam in traditione doctrinæ Christianæ, quam in cathedra sub concione, ac etiam ante ipsum accessum (præsertim si populus sit rudis & agrestis) admonebit, quæ præparatione, & quantâ animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu, manibus junctis, ac sine compressione & trusione, ad tam divinum Sacramentum debeat accedere: ut præmissâ Sacramentali confessione omnes à mediâ nocte jejuni, & utrôque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant, viri quantum fieri potest à mulieribus separati.

Moneantur præterea communicantes, ut sumpto Sacramento non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, neve statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant; sed quæ par est devotione aliquantisper in oratione permaneant, & gratias Deo de tam singulari beneficio agant.

Hostias consecratas sive particulas, quæ pro morientium viatico, & usu infirmorum, ac alio-

rum

rum fidelium communionem in ciborio pro exigentia sufficientes conservantur, Parochus frequentius, & singulis quatuordecim diebus, ubi locus aservationis fuerit valde humidus, vel saltem semel in mense renovet: consecranda autem sint recentes, & ubi eas consecravit, veteres primo communicantibus distribuatur, vel ipsemet sumat.

Quae verò ulterius ad decentem huius sanctissimi Sacramenti administrationem, & cultum requiruntur, in Constitutionibus Synodalibus part.

1. tit. 8. de Sacramento Eucharistiae inveniuntur, qua Parochus, sive alius quicumque Sacerdos saepius perlegat, eaque diligenter & accurate observet.

